



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-258950-p0001-6

DFG

QV

I

IOA

IVR



Q. D. B. V.

F 303

DISSERTATIO IURIDICA

QVATENVS ACQVISITIO POSSIT
OMITTI

Q V A M

DIE XXX. DECEMBRIS A. R. S. MDCCCLXXVI

IN AVDITORIO MAIORI

H. C.

D E F E N D E N T

JOANNES CHRISTIANVS FRANCKIVS

IVR. VTR. DOCTOR, IUDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE
INFERIORIS MARCHIONATV ASSESSOR

E T F R A T E R

A V C T O R

AVGVSTVS GOTTLIEB FRANCKIVS


VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACAD. A. TYPIS.





05 H 595



§. I.

Instituti ratio proponitur.



Cum variis mortales ferantur mentis agitationibus,
et in consiliis capiendis longe lateque distrahan-
tur, sane non potest non diuersis actionum eno-
datio premi difficultatibus. Officium igitur Iurisconsulti,
qui teste Cicerone ⁴⁾, legum et consuetudinum earum, qui-
bus priuati in ciuitate vtuntur, et ad agendum, et ad respon-
dendum, et ad cauendum debet esse peritus, non in solis
desideratur legibus interpretandis, sed maxime quoque
conspicitur in hominum negotiis recte explicandis. Scripti
enim et voluntatis frequentissimam esse quaestionem, et hinc
notandum est, in quodammodo invenimus, ut
A 2. magnam

⁴⁾ de Orat. Libr. I. Cap. XLVIII.



magnam pendere iuris contiouersi partem, confirmat Quintilianus^{b)}. Sub factis autem iudice Grotio^{c)} moraliter continentur et non facta, considerata debitibus cum circumstantiis; nam et haec interdum iuris subiacent regulae^{d)}, indeque quamdam capiunt efficientiam^{e)}. Ita ex intermissione praeferunt in eo, quod circa res obtinet, iure, variae nascuntur quaestiones, quae et utilitate et amoenitate vehementer se commendant, ut occasione speciminis, quod de studiorum meorum edendum est ratione, praeferunt cum aliis sati largam mihi reliquisse videantur messem, id, quod circa omissionem acquisitionis iustum sit, praeferenti exponere libello, induxerim in animum. Qua in re ita versabor, ut
prae-

^{b)} in Inst. Orat. Lib. 7. Cap. 6.

^{c)} de Iure belli et pac. Libr. 2. Cap. 4. §. 5. confer. etiam Paulus in Leg. 121. π. de regl. iuris et in Leg. 189. π. de verborum signif. nec non Alciatus ad leg. posteriorem.

^{d)} de culpa, quae ex omissione oritur, egit Iust. Henning, Boehmerus in disserrt. de imputatione culpae propriæ Cap. II. §. 1 - 7. et Andreas Beronus in tract. de negligent. et omiss.

^{e)} Quid juris sit circa accusationis intermissionem, disquirit excellens Reinhardt in disserrt. de odio erga delatores saepius iniusto. Recte enim monuit Boehmerus in introduct. ad Ius publ. vniuers. lib. II. Cap. 3. nudam punibilem esse scientiam, quatenus ex illa quis ad aliquid faciendum vel patefaciendum obligatus sit, neque tamen faciat, quod salus republicae postulet.

praefatus de acquisitione, deinde, quatenus ea libere possit
omitti, ulterius disquiram.

§. II.

Quid denotet omittere?

Vt autem ordine procedam, nec illotis quasi manibus ipsam fuscipere videar tractationem, receptam placet seruare methodum, et e sententia Vlpiani^{f)} quaedam de ipsis tituli praemunire significatione. *Omittere* is in genere dicitur, qui ab agendo cessat, in specie vero, qui aliquid non agnoscit, vel negligit, quo sensu, maiorum omittere imitationem apud Ciceronem^{g)}, consilium rei alicuius omittere apud Liuum^{h)}, iudicium omittere apud Tryphoninumⁱ⁾, emolumentum quoddam omittere apud Vlpianum^{k)}, hereditatem omittere apud Paulum^{l)}, et Iauolenum^{m)}, legitur, et mihi quoque in praesenti accipitur. Quamuis autem Iacobus Cuiaciusⁿ⁾ omittere, pro tempore excludi fu-

A 3

mat,

f) in leg. I. πτ. de reb. credit.

g) in libro I. de offic. Cap. 32.

h) in libro 33. Cap. 41.

i) in leg. 37. πτ. de minoribus.

k) libro V. Opinionum in leg. 44. πτ. de minor.

l) in leg. 7. πτ. de acquirenda vel omittenda hereditate.

m) in leg. 60. πτ. dicti tituli.

n) in libro XVII. obseruationum Cap. 3.



mat, ideoque ab eo Ioannes Robertus^o) recedat, tamen deinde sub nomine Antonii Mercatoris^p) laxiorem agnoscit huius vocis ambitum, et ad eos quoque, qui repudiant, alterue desistunt, extendit.

§. III.

Quid sit acquisitionis?

Iam etiam alterius, cuius in fronte dissertationis mentio facta est, vocabuli scilicet *acquisitionis* mihi suppeditanda venit enucleatio. Originem dicit ab *acquirere*, quod in sensu generali aliquid iuris transferendi causa eum in finem capere denotat, quo is, cui quaeritur, illud, cum animo sibi habendi, teneat^q). Et, e sententia Modestini libro decimo quarto ad *Quintum Mucium*^r), tam modos capienda naturales, quam ciuiles, comprehendit, ita, ut quoque liberatio ab obligatione domino per seruum facta a Paulo libro duodecimo ad *Sabinum*^s) ad acquirendi species refera-

tur.

^o) in *animaduers. iur. libro 3. Cap. 20.*

^p) in *Notat. ad Libr. animaduers. Ioann. Roberti Libr. III. Cap. 20.*

^q) *Principio Institutionum de donationibus, iunct. leg. 140. n. de verb. signif. Ioann. Christoph. Beurmanni sub praesidio Ioann. Christ. Schroeteri. Ienae MDCCI. habita diff. de his, quae nobis in iuris acquiruntur.*

^r) in leg. 53. n. de acquir. rer. dominio.

^s) in leg. 11. n. de acceptiat.

tur, nec intersit, quamuis ius illud in nos translatum quan-
doque possit iterum abire. Nam heres rem, quam sub con-
ditione vel ex die incerto, qui secundum Papinianum ¹⁾ in
vltimis voluntatibus pro conditione habetur, restituere ius-
sus est, pendente conditione, et, donec certum fiat, vtrum
extiturus sit dies, nec ne, omnino acquirit, vti, licet Mar-
cianus ²⁾ in legatario deliberante rem vocet dubiam, et
euentum spectari debere statuat, vel ideo, quia dominium
rei sub conditione relictae ante eius existentiam penes lega-
tarium vel fideicommissarium non consistat, interea tam-
en non possit esse in suspenso, recte mihi afferere videtur
Peregrinus ³⁾, cuius sententia a Paulo libro secundo Quae-
stionum ⁴⁾, Pomponio libro secundo Fideicommissorum ⁵⁾,
Caio libro primo de Manumissionibus ⁶⁾, et Iustiniano in
Edicto ad Iohannem praefectum praetorio ⁷⁾, iam probata
legitur. Neque tamen monente Goeddaeо ⁸⁾, opus est, vt
is

¹⁾ in leg. 75. π. de cond. et demonstrat. De die autem incerto egregie
differuit Joseph Aueranius in interpret. iur. libr. II. Cap. XVI.

²⁾ in leg. 15. π. de rebus dub.

³⁾ in tractat. de fideicommiss. art. 40. n. 6.

⁴⁾ in leg. 66. π. de rei vindicat.

⁵⁾ in leg. 70. π. ad Senatuscons. Trebell.

⁶⁾ in leg. 29. §. I. π. qui et a quibus manumissi liberi non siant.

⁷⁾ in lege 3. §. 2. Cod. commun. de legat.

⁸⁾ ad Leg. 28. π. de Verbor. significat.



is, qui acquirit, semper locupletior fiat, alioquin in em-
tione venditione et alio contractu oneroſo toties cefſaret
alienatio, quoties ob pretii maxime iuſtam aeftimationem
excedentis absentiam patrimonium emtoris non eſſet auctum,
quod tamen minime potest probari. Ex quibus iam elucet,
omnem acquisitionem iuris cuiusdam continere translatio-
nem, qua quid eius fit, cui quaeritur. Cum autem ius
tangat personas vel res, ſecundum hanc duplēm conſide-
rationem acquisitionis quoque ſpectari debet, et vel auctum,
quo peragitur, vel ius, quod noſtrum fit, deſignat. In
praeſenti vero ne fines libelli nimis extendantur, in poſte-
riore faltem ſpecie, quae ex doctrina Iacobi Cuiacii ⁴⁾
omnis in obligatione, dominio, vel poſſeffione verſatur, qua-
tenus ſcilicet ea licite poſſit omitto, faciam periculum.

§. IV.

Interdum iuitis acquire.

Ex iis, quae in ſuperioribus funt tradita facili, colligi
potest negotio, omnem acquisitionis omissionem in abſen-
tia auctus, quo quid legitimo capi potest modo, ſeu in eo-
rum, quae iure teneri poſſunt, conſistere neglektione. Ea-
rum autem rerum, quae in bonis eſſe queunt, acquisitionis
procedit

⁴⁾ in Commentario ſuper librum ſexagesimum quintum Pauli ad edi-
tum et quidem ſuper legem 153. de regulis iuris.

procedit vel ex iure ipso vel ex facto hominis. Nostrum aliquid sit ipso iure, quoties citra factum nostrum proximum, ipsa legis potestate, aliquid nanciscimur ^{c)}; facto autem nostro, quoties actus a nobis suscipiatur necesse est, quo iuris cuiusdam reddamur participes, qua quidem in specie voluntas acquirentis cum suo signo desideratur, praesertim cum secundum regulam, nemini invito, sub quo, vt ait Vlpianus ^{d)}, non is solus, qui contradicit, sed is quoque qui consensisse non probatur, intelligi debet, potest acquiri ^{e)}. Saepius autem sit, ut ipsa lex ius quoddam in nos transferat ^{f)} atque, vel ob publicam, quae inde prouenit, sahitem, vel,

ob

^{e)} Confer. Otton. Philipp. Zaunschlifferi tract. de eo, quod sit ipso iure, qui tamen hunc mihi errare videtur errorem, quod eam, quae ipso iure fit, rei cuiusdam delationem cum acquisitione, ipso iure procedente, saepius misceat. Licet enim prior posteriori semper insit, tamen in eo maxima latet differentia, quod in priori sola acquirendi facultas nostro committatur arbitrio. Daniel Nettelbladt in systemate Elementari iurisprud. yniuersae. Tom. I. §. 156. in posteriori autem ipsa iuris cuiusdam translatio cum omni effectu tribuatur.

^{f)} in lege 8. §. 1. π. de procurator. vid. quoque Jacobus Cuiacius ad leg. 4. π. de regul. iur.

^{g)} Beurmanni dissert. iam cit. de his, quae nobis inuitis acquiruntur.

^{h)} Eleganter ait Hugo Grotius de Iure belli et pacis libr. II. Cap. VIII. §. 5. legem etiam ante occupationem rerum transferre posse dominium, cum ad illud producendum sola lex sufficiat.

B



ob illud, quod alteri oritur, coimmодum, acquirendi induat obligationem, quare ad haec, et ad liberam rerum administrationem in omissione iuris delati semper erit respiciendum.

§. V.

De acquisitione, quae ipso iure sit.

Rerum in iure duplex est significatio; vel enim id de quo quaeritur, iuris subiectum, vel ipsum ius, seu causam, propter quam quid alicuius est, seu esse potest,¹⁾ denotat. In praesenti prior vocis vis ad meum pertinet institutum, cum, quidquid in bonis esse, aut utilitati nostrae possit inferire, hanc modo ingrediatur tractationem. Omnis autem rerum acquisitionis causam debet habere proximam, quae, vel in facto quodam, quod ei imputatur, cui res quaeritur, consistit, vel ipsa legis potestate subministratur, et haec ipsa posterior species est, quae proprie ipso iure fieri dicitur²⁾, citra hominis progredivit voluntatem

¹⁾ Sec. leg. 5. et 23. π. de verb. signif. et Goeddaeum ad has leg.

²⁾ Improprie is quoque dicitur ipso iure acquirere, cui ita, vt ex legum dispositione ab altera parte nullum factum ad translationem habile desideretur, ius aliquod defertur. Sic dominium rei pure legatae, si testatori propria fuit, ad legatarium, eo scilicet non repudiante,

recta

atem¹⁾, atque vel immediate, quoties specialis adest legis casus, vel per consequentiam, quoties vnius rei adeptio alterius inuoluit conciliationem, procedit, ideoque nequit omitti. Ita filio, ea, quae patri pro eo praestatur, restitutio²⁾, seruo, heredi instituto, hereditas et libertas³⁾, thesaurus a tertio, non data opera, inuentus, prodimidia parte domino praedii⁴⁾, id quod in iudiciis duplicitibus, familiae eriscundae, finium regundorum, et communis diuidendo, a iudice adiudicatur, ei, cui, adiudicatio sit⁵⁾, liberatio debitoris solutione a tertio creditoris.

B 2 doct redet houp facta,

recta via, et citra heredis factum, transit, secund. leg. 80. π. de legat. 2. hereditas ipso iure acquiritur secund. §. 3. Institut. de heredit. quae ab intestat. deserunt. Huc etiam pertinet, quod assert Ioannes Frideric. a Sande in Tractat. de prohibit. rerum alienatione. Singulare esse, quod sec. leg. 5. §. 8. π. de ieb. eor. qui sub tutel. pupillus ideo fundum sibi legatum repudiare non possit, quia nequeat alienare. Cum iure communi, qui non acquirat, alienare non dicatur.

1) Ioseph Aueranius in interpret. iur. libr. I. Cap. 10. Ioann. Gryphiander in Oecon. legal. libr. I. Cap. X. no. 12.

2) Secund. leg. 27. π. de minoribus.

3) Secund. §. I. Inst. de hered. qualit. et differ. nec non sec. leg. 6. Cod. de necess. seruis hered. instituend. vel substituend.

4) Secund. §. 39. Inst. de acquir. rer. dom.

5) Secund. l. 2. §. I. π. fin. regund. l. 44. §. I. π. famil. eriscund. et Hubert. Giphanium ad §. 11. Inst. de acquir. rerum domin.



facta ²⁾), socio, bona alterius socii in societate vniuersali ¹⁾, heredi in minima parte instituto, coherede deficiente, tota hereditas ³⁾, eo autem recusante, vacans pars ⁴⁾, ei, qui re coniunctus est, deficiens portio ⁵⁾, domino ea, quae rei suae accedunt, quo foetus animalium ⁶⁾, fructus, iure soli venientes ⁷⁾, alluvio ⁸⁾, debent referri, cedunt. Hae et reliquae species, in quibus proxima capiendi causa, ipsa legum continetur potestate, etiam citra capientis voluntatem, acquiruntur, ita tamen, ut acquirenti sit liberum, eorum, quae acquisiuit, proprietatem aut retinere, aut derelinquere. Huc spectat, quod habet Iacobus Cuiacius ⁹⁾ generale esse, ut possit etiam iniuti melior fieri conditio, scilicet, quod ad nos attinet, quia eam facere meliorem fatagimus, ut ait

Labeo

¹⁾ Secund. leg. 39. π. de negot. gest. leg. 23. 53. 93. π. de solut.

²⁾ Sec. l. 1. §. I. et l. 2. π. pro socio.

³⁾ Sec. leg. 31. π. de acquir. vel omitt. heredit.

⁴⁾ Secund. leg. 53. π. eiusd. tit.

⁵⁾ Sec. leg. 4. π. de legatis II. iunct. l. 1. §. 11. Cod. de caduc. tollend.

⁶⁾ Sec. leg. 2. et l. 6. π. de acquir. rer. dom.

⁷⁾ Secund. leg. 25. princ. π de usur. et fruct.

⁸⁾ Secund. leg. 7. §. 1. π. de acquir. rer. dom. §. 20. Instit. eiusd. tit.

⁹⁾ in Commentario ad libr. XVII. Quaestio: Papiniani, et quidem ad leg. 71. §. 3. π. de condit. et demonstrat.

Labeo ⁵⁾ , non, quod ad illum , cuius melior sit conditio, illi enim , licere aspernari eam postea, propterea quoque hunc in modum accipienda esse, censeo, quae refert Aemilium Ferretum duo in acquirendo posuisse extrema, vnum ex persona eius, cui adquiratur, alterum ex persona eius, a quo acquiratur, et inuitu quidem acquiri, quod ad posterius, non etiam, quod ad prius, (scilicet ut retineri debeat acquisitum) , licere enim acquisitioni renunciare, et lucro oblato non vt.

§. VI.

De acquisitione ob publicam utilitatem.

Omnis societas communem sibi propositum habet finem, de quo obtinendo laborare debent singuli, coniunctio enim plurium voluntatum, quae in societate conspicitur, nexus constituit, ex quo mutua hunc in finem intercedit obligatio ⁶⁾ , ita, ut per virium, quae accedat necesse est, confociationem, id, quod finis impedit complementum, remoueatur. In maioribus autem, quae res publicae solent vocari, societatibus, monente Samuele Puffen-

B 3

dorfio

⁵⁾ in leg. 91. π. de solut. et liberat.

⁶⁾ Conferat. Iustus Henning Boehmerus in introduct. ad Ius publ. vniuers. Libr. I, Cap. 2. §. 1. et 2,

dorsio ⁴⁾) hoc modo multae voluntates intelliguntur vnitae, dummodo unusquisque suam voluntatem voluntati vnius hominis aut concilii subiiciat, vt pro omnium ac singulorum habenda sit voluntate, quicquid de rebus ad communem securitatem ⁵⁾ necessariis ab illo statuatur. Quare is, penes quem iurium maiestaticorum residet ysus, de mediis, communem salutem conciliantibus, iudicare, et in eam actiones ciuium externas, quatenus voluntatis sunt, latis dirigere potest sanctionibus, quibus ciues, qui etiam in reliquis fini communi impetrando debent studere negotiis, nequeunt recusare obsequium. Ea igitur acquisitione, quae securitatem publicam sua natura directo firmorem reddere censetur, de iure nequit omitti. Ita in bello solemini, quo vires hostium minuantur, iisque ad satisfactionem praestandam eo citius adigantur, res eorum tam mobiles quam immobiles capiendi occasionem praetermittere, parationem aquae, annonae ⁶⁾ et aliarum rerum, ob metum inopiae, instante praefertim obsidione, imperatam non cu-

rare,

⁴⁾ in Iure Nat. et Gent. Libro VII. Cap. II. §. 5.

⁵⁾ in eo enim primarium finem recte ponit Boehmer in dicto libr. I. Cap. III. §. 4.

⁶⁾ de emtione frumenti, caritatis exitandae causa egit Georg. Adam. Struuius in Synt. Iurisprud. Exerc. XXIII. §. 6.

rare, bona, quae aerario deferuntur, vacantia ^{§)} procuratoribus aerarii negligere ⁴⁾), iure non licet. Quodammodo quoque hoc Sanctio Leonis ⁱ⁾ de praediorum maritimorum communicatione, ob eam, quae inde expectatur vberior, agrorum vtilitatem, necessario facienda, referri posse videtur.

§. VII.

De acquisitione, quae in favorem creditorum nequit omitti.

Iam etiam ad eam, quae alteri nocet, acquisitionis omissionem, mihi est progreendiendum, qua quidem in re obligatio perfecta, tam efficiendi, ne quis neglectu nostro deminutionem sui sentiat patrimonii, quam cauendi, ne alteri ius delatum intercipiatur ⁵⁾, ex una, ex altera parte

ius

³⁾ Sub iis etiam caduca intelliguntur. Ita enim Tacitus Lib. III. Annal. Cap. XXV. Augustum resert sanxisse, vt, si a priuilegiis parentum cefaretur, veluti parens omnium populus vacantia teneret.

⁴⁾ Hugo Grotius de Iure belli et pacis Libr. II. Cap. III. §. 16.
i) in Nouella 102.

⁵⁾ Elegans est positio Pauli Libro XIII. ad Edict. in Leg. 121. 2. de diuers. reg. iur. qui non facit, quod facere debet, videtur facere, aduersus ea, quia non facit. Et qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere iussus est, cui non in arbitrariis solum compromissis, sed in aliis quoque iudiciis, contractibus, et con-



ius, vel ita, ne vlla remoueamur exceptione perpetua, quid exigendi¹⁾, vel factum, ad retranslationem habile, desiderandi debet adesse. Quod vero ad ius Romanum attinet Praetor in Edicto de iis, quae fraudationis causa geruntur, non id agit, vt debitores, ii scilicet, a quibus etiam inuitis peti potest, id, cuius capiendi occasionem nauci sunt, acquirant, sed potius ne suum diminuant patrimonium, quare, quominus hereditatem vel legatum²⁾ repudient, conditionem, ne commodum stipulationis sentiant, spernant³⁾, deductionem Falcidiae⁴⁾ vel Trebellianicae⁵⁾ omittant, de iure stricto⁶⁾ nil prohibet⁷⁾. Quamquam autem Carpzovius⁸⁾ neminem in alterius praeiudicium iuri suo renunciare posse

conditionibus locum vindicat Ioannes Goeddaeus ad l. 189. π. de Verbor. signific.

¹⁾ Creditores enim vocantur, quibus ita debetur, ne vlla remoueri possint exceptione perpetua l. 10. π. de Verbor. significat. Confer, quoque Iacobus Cuiacius ad leg. 108. π. de diuersis regul. iuris.

²⁾ §. 2. et 4. leg. 6. π. quae in fraud. credit.

³⁾ l. 6. §. I. π. Eiusd. tit.

⁴⁾ l. 19. π. eod.

⁵⁾ l. 20. π. modo cit. tit.

⁶⁾ cf. quoque l. 119. et 134. π. de reg. iur.

⁷⁾ de contrario autem fori vslu testantur Bergerus in Oec. Iur. Lib. II. Obs. II. Thes. 32. not. 21. et Balthasar, Wernherus Part. I. Observ. CCLXXXIX.

⁸⁾ in Decis. CLXI.

posse ¹⁾ , porro neglectionem iuris delati eius continere remissionem et speciem donationis ²⁾ p rae se ferre , quae in fraudem creditorum facta , minime valeat ³⁾ , quid? quod ob quamcunque fraudem locum sibi vindicare Edictum ⁴⁾ , hincque iuris delati neglectionem non procedere , ait , tamen , cum per intermissionem acquisitionis creditores non fraudari , apud Romanos iuris sit expediti ⁵⁾ , itaque iuris repudiatio in praeiudicium creditorum fieri , vel speciem donationis continere , non censeatur , in genere autem Praetor alienationem tantum , (quae semper iuris cuiusdam requirit translationem) , prohibeat , minus recte rationes mihi subduxisse videtur ⁶⁾ . Interea omnem hac de re controuersiam Serenissimus Elector Saxoniae nouissima directit sanctione ⁷⁾ , qua cautum , ne , moto coepioque cursu creditorum , debitori liceat , vsumfructum vel aliud ius ,

¹⁾ Rationem ponit in leg. 74. π. de reg. iur. de qua confer. Iac. Gothofredus.

²⁾ Secund. l. 23. π. de donat.

³⁾ Secund. l. 17. §. I. π. quae in fraudem creditor. fact.

⁴⁾ Secund. leg. 1. π. dict. tit.

⁵⁾ Secund. leg. 134. π. de reg. iur.

⁶⁾ Conf. Scholion Christ. Thomasii ad Ulrici Huberi Commentar. in Tit. π. de his , quae in fraud. cred.

⁷⁾ vid. Decis. Reg. El. 25. de ao. 1746.



ius, ipsi obueniens, imprimis hereditatem, siue pacto, siue ab intestato speratam, licet nondum delatam, aut adhuc incertam, nedum, quae ipsi nequeat adimii, repudiare, atque, si acciderit, vt, postquam aliquis hereditatem, aliud ius repudiauerit, vel omiserit, concursus existat creditorum, aut eius bona ad solutionem vni creditori faciendam, non sufficient, tam curator litis, quam creditor, qui debitorem renunciationis tempore bonis iam exutum fuisse, probare volunt, (debitori contrarii probatione reseruata), audiri debere, itemque permisum esse et debitori, et ei, qui ab ipso causam habet, deferre ius iurandum, causa cognita autem, prouti res foret, irritam iudicis sententia pronunciandam esse renunciationem. Ex quo adparet, leges Saxonicas et delati, et sperati iuris repudiationem, tam coepio concursu, quam ante eum, modo posteriori in casu debitorem tempore repudiationis soluendo non fuisse monstretur, debitori denegare, idque etiam tunc, cum de fraude non constet, locum habere.

§. VIII.

De acquisitione heredis fiduciarii.

Iis, quibus necessitatem quandam factum ad iuris translationem habile in commodum alterius suscipiendi, leges imponunt, accensendas puto, quorum fidem quis eligit

eligit, vt eam, quam relinquit, hereditatem in alterum transferant. Ut enim fiduciarius heres, cui quarta bonorum salua non sit, eam detrahere, et sic ad adeundam cogi possit hereditatem, Pegasianum, quod in Trebellianum Iustinianus transtulit ^{c)}, sancit Senatusconsultum ^{d)}, qua tam en in re, ne hanc iuris dispositionem ad particularia fideicomissa ^{e)}, et ad eas, quibus quis heredem suum de tertii hereditate restituenda regat ^{f)}, quibus conditio adscripta est ^{g)}, nisi remittatur ^{h)}, in mero heredis facto consistat, seu cum pecuniae datione coniuncta sit, et fideicommissarius pecuniam attulerit ⁱ⁾, factum autem impleuerit ^{j)}, quibus heredis interest, ne adeat, nisi fideicommissarius et lucrum et damnum praefiterit ^{k)}, vel quibus heredi substitutus est datus ^{m)}, trahamus species, sedulo debemus cauere. Cae-

C 2

terum

^{c)} §. 7. Instit. de fideicommissar. heredit.

^{d)} §. 5. et 6. Instit. diet. tit.

^{e)} Confer. lex 16. §. 2. π. ad SCtum Trebell.

^{f)} Ob leg. 27. §. 8. et 9. π. eiusd. tit.

^{g)} Secund. leg. 63. §. 7. π. eod.

^{h)} Secund. leg. 14. π. de condition. et demonstration.

ⁱ⁾ Ob leg. 7. et 63. §. 8. π. ad SCtum Trebell.

^{k)} Secund. leg. 31. §. 2. π. eiusd. tit.

^{l)} Secund. leg. 11. princ. π. ad SCtum Trebellianum.

^{m)} Secund. leg. 4. Cod. eod.



terum heres, qui repudiat hereditatem, a magistratu implorato ad nudum restitutionis compellitur factum^u).

§. IX.

De acquisitione tutorum, curatorum et sociorum.

Tutores et curatores, quatenus pupillorum et minorum administrant bona, non de iis solum seruandis, sed iis quoque augendis debent esse solliciti. Quae quidem rerum conditio, et diligentia ^o) pupillaribus adhibenda negotiis, eos prohibent, quo minus iuris, quod pupillo vel minori deferunt, acquisitionem temere omittant. Ita, nisi rei omissae velint praestare periculum, culpa sua conditionem donationis negligere ^p), vel id, quod acquirere possunt, nequeunt omittere ^q), potius bonorum possessionem petere ^r), et pecuniam

^u) Bergerus in Oecon. Iur. Libr. II. Tit. IV. Thes. XXXIV. not. 3.

^o) Media, secundum regulam, in tute et curatore requiritur diligentia. Num autem in abstracto, an in concreto? priorem Bergerus in Oec. Iur. Libr. I. T. IV. Th. X. not. 12. contendit, eiusque sententia legi 10. π. de administr. et peric. tutor. conuenit, posteriorem autem Facultas Iuridica Lipsiensis apud Wineklerum in addit. ad citat. Bergeri locum sufficere putat.

^p) Secund. leg. 21. Cod. de administrat. tutor. et curator. et Franciscum Balduin. de legibus Constantini Libr. II. pag. m. 219.

^q) Secundum leg. 7. Cod. arbitrium tutelae, et leg. 2. Cod. si tutor vel curator non gesserit.

^r) Secund. leg. 8. π. de honor. possess.

cuniam pupillarem in praediorum emtionem vertere ^{*)}, vel aliis, sub usuris, collocare debent ^{*)}. Quibus tamen omnibus, ne pupillo vel minori periculum contrahant, iis est cauendum. Quod autem ad societatem attinet, ea, siue bonorum tangat substantiam, siue in iis saltem, quae acquiruntur, rebus occupetur, communionem spectat lucri ^{**)}, cui quaerendo, nisi aliter conuenerit, medium socii sibi inuicem praestare debent diligentiam ^{**}). Hinc iis in rebus, quarum nomine inita est societas, socii, qui per negligentiam acquirendi intermittunt occasionem, sociis culpae nomine tenentur ^{**)}.

C 3

§. X.

^{*)} Secund. leg. 7. §. 3. π. de administr. et periculo tutor.

^{**) Ad quod faciendum ab initio administrationis sex menses, administratione autem semel suscepta, duo menses, modo idoneam inuenient locandi occasionem, iis conceduntur. Liider Mencken in Theoria et Praxi Pandectarum Libr. XXVI. T. VII. §. 10. cf. Petri Mülleri dissert. de pecunia pupillari eiusque administratione.}

^{**) Petrus Müllerus in Annotat. ad Struui Syntag. Iurisprud. et quidem in Exercitat. XXII. Th. XXIII. lit. α.}

^{**) Secund. leg. 72. π. pro socio Conf. Carpzouius ad Part. II. Constitut. XXVI. Defin. 12.}

^{**) Hälliger in Donell. Enuch. Libr. XIII. Cap. XVI. recte ait, mutuas esse sociorum præstationes, quæ partim in rebus quaestis, partim in rebus acquirendis, partim in dannis, consistant, et ad secundam quidem speciale speciem, si socius dolo aut negligentia quid non acquirat, hereditatem repudiet, opportunitatem gerendi omittat. L. 23. §. I. l. 25. π. pro socio, quæ præcipue in societate omnium bonorum}

De acquisitione emphyteutae, mariti, filii familias, curatoris bonorum, administratoris, negotiorum gestoris, et procuratoris in genere.

Multae supersunt adhuc species, in quibus lex acquisitionem imperat. Sic emphyteuta, cui ea sub lege, ut praedii cuiusdam meliorem faciat conditionem, eius utile conceditur dominium^{a)}, meliorationum, quarum nanciscitur occasionem non curare, maritus nisi ipse velit obligacionem dotis in se recipere dotis promissorem liberare^{b)}, multo minis vniuersitatem bonorum vxori hereditate obuenientium dimittere,^{c)} filius familias, quamdiu patris subiectus est potestati, in eius detrimentum, peculii aduentitii regularis acquisitionem contemnere^{d)}, curator bonorum, ea,

quae

rum, vbi hereditatis, legati, donationum et aliarum acquisitionum sec. l. 3. §. 1. π. pro soc. ratio habetur, et in societate ad emendum sec. leg. 52. §. 11. π. pro soc. locum sibi vindicant.

^{a)} Sec. leg. 2. et 3. Cod. de iur. emphyteut. Ioan. Harprecht de iure emphyteut.

^{b)} Sec. leg. 49. π. de iur. dot. et sec. leg. 66. §. 6. π. solut. matrim. Joseph Aueranius in interpret. iur. libr. II. Cap. XII.

^{c)} Sec. Carol. Ferdinand. Hommel, in Rhapsod. Qu. Obs. CCLXXVIII. confer. quoque Bergerus in dissert. de ommiss. hereditat. qui in vxore, etiam in iuncto marito, hereditatem repudiare posse, docet, cui conuenit, quae habet Wernher. P. III. Obs. CCCCCIV.

^{d)} Pater enim hereditatem, quam filius repudiat sec. leg. 1. §. 2. π. de


quae bonis debitoris accedunt, incrementa negligere ^{a)}), administrator, negotiorum gestor, et procurator in genere constitutus, in eius, cuius negotia curant, damnum, acquirendi aptitudinem deserere, nequeunt. Horum vero, ne arcti huius libelli turbentur fines, pleniores tractationem in aliud differendum esse censeo tempus.

de bon. quae liber. ipse potest adire. Num etiam tunc, si filio substitutus sit datus, hoc procedat? disquirit Hilliger ad Donellum Libr. VI. Cap. XXIV.

^{a)} Winckler ad Berger. oecon. iur. libr. IV. Tit. XXXI. Th. I. not. 5^{b)}.

^{b)} Cuius officium in bonorum acquisitione, eorundem prudente conservazione, et commoda erogatione occupatur Boehmer. in iur. parochial. Sect. VI. Cap. II. §. II.

T A N T V M.



die polizeidepartementen, welchen die Regierung
durch den Generalinspektor zu bestimmen hat,
und welche in einschneidigen Fällen, so
dass sie die Rechtsprechung nicht mehr erledigen
können, die Rechtsprechung übernehmen. Die
Rechtsprechung ist eine der ersten Pflichten der
polizeidepartementen.

Die polizeidepartementen sind nach dem
Vorhandensein von Straftaten oder Verdächtigungen
zu bestimmen, ob es sich um eine Straftat handelt
oder nicht.

VII. Kapitel.

Die polizeidepartementen sind nach dem
Vorhandensein von Straftaten oder Verdächtigungen
zu bestimmen, ob es sich um eine Straftat handelt
oder nicht.

МУТИАТ

05 H 595



021





Q. D. B. V.

F 303

DISSERTATIO IURIDICA

VATENVS ACQVISITIO POSSIT
OMITTI

Q V A M

DIE XXX. DECEMBRIS A. R. S. MDCCCLXXVI

IN AVDITORIO MAIORI

H. C.

D E F E N D E N T

ANNES CHRISTIANVS FRANCKIVS

R. VTR DOCTOR, IUDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE
INFERIORIS MARCHIONATV ASSESSOR

E T F R A T E R

A V C T O R

AVGVSTVS GOTTLIER FRANCKIVS

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACAD. A. TYPIS.

